



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 132. Vtrum Angeli naturaliter debeant esse in maximo numero, & plures, quam homines, & alia corpora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

tio est, quia perfecta amicitia ex doctrina Aristotelis 8. Eth. cap. 2. est *mutuus amor non latens, communicatiuus secretorum cordis, & omnium bonorum*; sed licet Angeli differant specie, nihilominus secundum suam naturam sunt ita coordinati, ut possit inter illos dari mutuus amor non latens, & communicatiuus secretorum cordis, & omnium bonorum; ergo. Addo, quod cum datur talis coordinatio naturarum intellectualium, differentia specifica non solum non nocet, sed etiam prodest ad perfectionem amicitie. Nam amicitia tunc est perfectior, & melior cum datur perfectior, & melior bonorum communicatio; ergo. Probat minor: nam melior est communicatio, per quam duo sibi inuicem communicant bona specie diuersa, quam communicatio, per quam sibi inuicem communicant bona eiusdem speciei. Confirmatur hoc ipsum exemplo rerum naturalium, in quibus datur quædam amicitia physica inter res specie differentes, puta inter materiam, & formam; inter actum, & potentiam, inter actiua, & passiuam; ergo etiam in entibus intellectualibus potest dari perfecta amicitia moralis inter naturas specie diuersas, dummodo inter eas detur coordinatio explicata. Hinc patet disparitas, cur licet inter homines, & Angelos non possit dari naturaliter amicitia perfecta, tamen inter Angelos specie diuersos possit dari naturaliter amicitia perfecta. Ratio est, quia primum fundamentum amicitie perfectæ est, ut possit quis intuitiue cognoscere amicum suum, & non solum debeat illum cognoscere abstractiue, & ænigmaticè; sed homines pro statu huius vitæ non possunt intuitiue cognoscere Angelos, sed solum abstractiue, & per ænigmata: Angeli licet specie differentes vident se mutuo intuitiue; ergo.

QVÆSTIO CXXXII.

Virum Angeli naturaliter debeant esse in maximo numero, & plures, quam homines, & alia corpora?

Sanctus Thomas q. 50. art. 3.

1. **P**rimò videntur Angeli esse pauci. Cum enim, ut docet Aristoteles 12. Metaph. cap. 42. & sequentibus, Angeli, siue Intelligentiæ ordinentur ad finem mouendi corpora cælestia, tot Angeli debent dari, quot sunt sphaeræ cælestes; sed sphaeræ cælestes non sunt in magno numero; ergo Angeli non debent esse in magno numero.

2. Secundò si Angeli non deberent multiplicari iuxta numerum corporum mouendorum, nulla esset ratio naturalis, cur Angeli sint tot, & non plures; sed debet dari hæc ratio; ergo.

3. Tertiò videtur Angeli esse pauciores hominibus, & à fortiori pauciores corporibus. Ut enim docet S. Augustinus 22. de Ciuit. cap. 1. & in enchirid. cap. 28. 61. & 62. & Beda in illud Apostoli ad Ephes. 1. *Proposuit reslauare omnia in Christo*, & Anselmus in lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 78. ex hominibus prædestinatis reparandæ sunt ruinæ Angelorum; sed tertia pars Angelorum cecidit, ideoque Apocalypsis 12. Draco dicitur traxisse secum tertiam partem stellarum; ergo homines prædestinati æquant tertiam partem Angelorum; sed homines prædestinati non sunt tertia pars hominum; ergo homines sunt plures, quam Angeli.

4. Respondeo: certum est ex Scriptura Angelos esse in maximo numero. Daniel enim 7. dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Quæritur primo, utrum hic maximus numerus Angelorum requiratur ad perfectionem vniuersi, & ad naturalem finem ipsorum Angelorum? Aliqui existimant finem naturalem Intelligentiarum esse, ut moueant corpora cælestia, adeoque non plures debere dari Intelligentias, quam corpora cælestia mobilia; & quia orbes cælestes sunt pauci, existimant naturaliter dari debere paucas Intelligentias; & hanc opinionem tribuunt Aristoteli 12. metaph. c. 42. & sequentibus, loco citato in primo argumento. Addunt, quod licet Angeli, considerando præcise eorum finem naturalem, deberent esse pauci, tamen Deus, qui ordinauit ipsos ad finem supernaturalem videndi diuinam essentiam, creauit ipsos in maximo numero.

5. Dicendum, quod etiam considerando naturalem perfectionem vniuersi, & naturalem finem Angelorum, Angeli debent esse in maximo numero, & plures, quam homines, & quam omnia corpora: ideoque Dionysius cap. 14. de cælesti Hierarchia dicit: *Muli sunt beati exercitus supremarum mentium, infinam, & confusam excedentes materialium numerorum commensurationem*.

6. Prima ratio allata à Sancto Thoma hic quæst. 50. art. 3. ac desumpta ex naturali perfectione vniuersi est. Ad perfectionem vniuersi spectat, ut præcipue eius partes, quo sunt superiores, & perfectiores, eo sint quantitate maiores, ideoque videmus, quod corpora inferiora ad corpora cælestia se habent, sicut punctum ad sphaeram; sed duæ præcipue partes vniuersi sunt creatura corporea, & incorporea, hoc est Angeli; creatura autem incorporea, siue spiritalis est incomparabiliter perfectior creatura corporea; ergo ad perfectionem vniuersi pertinet, ut creatura incorporea excedat in quantitate corpoream; sed creatura incorporea non est capax alterius quantitatis, quam discretæ consistentis in numero; ergo ad perfectionem vniuersi pertinet, ut Angeli in numero excedant omnia corpora.

7. Secunda ratio desumpta ex fine naturali

rali ipsorum Angelorum est: finis naturalis Angelorum est ipsorum propria operatio immanens, in qua eorum beatitudo naturalis consistit; sed propria operatio, in qua consistit Angelorum naturalis beatitudo, non est motus corporum celestium, sed contemplatio primæ causæ, in quantum potest cognosci ex perfectione mundi; ergo cum Angeli non habeant pro fine ultimo motum corporum celestium, sed contemplationem primæ causæ, non solum debent multiplicari iuxta numerum corporum celestium, sed iuxta proportionem, quam debent habere ad alias substantias vniuersi; sed debita proportio postulat, ut in genere intellectui, ut potè amabili gratia sui, & incomparabiliter meliori, producantur multo plures substantiæ, quam in genere non intellectui, ac non amabili gratia sui: ergo numerus Angelorum debet esse incomparabiliter maior, quam numerus omnium entium inferiorum.

8. Sed hinc oritur secunda quæstio, & dubitatur, utrum detur aliqua ratio naturalis, propter quam Angeli debeant esse in certo, & determinato numero; an verò possint esse plures, & plures sine termino, Deus autem ex mero suo arbitrio produxerit illos in certo numero.

9. Dicendum, quod datur naturalis ratio, propter quam Angeli debent esse in certo numero. Probatur primò: nam cum præcipuæ partes vniuersi debeant sibi mutuo proportionari, hoc vniuersum postulat, ut qualibet ex præcipuis partibus habeat certam magnitudinem, puta ut cælum sit tantum, terra sit tanta, Sol, & Luna sint tanti; ergo etiam postulat, ut Angeli habeant certam quantitatem, discretam, seu certum numerum.

10. Probatur secundò: nam præcipuus finis mundis est, ut perfectè intelligatur: finis præcipuus Angelorum est, ut perfectè intelligant; ergo tanta debet esse intellectiuitas naturalis Angelorum, quanta est intelligibilitas naturalis mundi: si enim maior esset intelligibilitas naturalis mundi, quam intellectiuitas naturalis Angelorum, illa maior intelligibilitas mundi non posset naturaliter reduci ad actum ex defectu potentiæ intellectiue: si verò maior esset intellectiuitas Angelorum, quam intelligibilitas mundi, illa maior intellectiuitas Angelorum non posset reduci ad actum ex defectu obiecti intelligibilis: frustra autem est naturalis potentia factiua, vel passiva, quæ non possit naturaliter reduci ad actum; ergo species Angelorum supra animam rationalem debent ita multiplicari, donec perueniatur ad Angelum, qui adequet intelligibilitatem mundi, & in eo debet sisti.

11. Neque dicas, quod possunt omitti aliquæ species intermediæ, adeoque licet Angeli naturaliter non possint esse plures, & plures, possunt tamen esse pauciores, & pauciores. Existimo enim, quod sicut mundus corporis protenditur à centro usque ad vlti-

mum cælum sine vilo vacuo, sic mundus intelligibilis debet protendi ab anima rationali usque ad supremam Intelligentiam sine vilo vacuo, ita ut nulla desit species intermedia.

12. Sed potest vltius quærì, quid requiratur ad hoc, ut suprema Intelligentia habeat tantam intellectiuitatem, quanta est intelligibilitas mundi?

13. Respondeo requiri, ut habeat vim intellectiuam sufficientem ad comprehendendum naturali comprehensione mundum; sed ad hoc, ut totum, quod est vnum, comprehendatur, debent vnicui actui comprehendendi omnes partes ipsius, & cognosci comprehensuè pulchritudo, & proportio, quæ resultat ex ordine talium partium; ergo requiritur, ut suprema intelligentia habeat vim intellectiuam sufficientem ad comprehendendum vnicui actui omnia entia naturalia, quæ sunt in mundo, & quæ possunt esse, iuxta virtutem causarum naturalium. Ratio est, quia cum pulchritudo mundi non possit comprehendi, nisi per vnum actum comprehensiuum, si non daretur Intelligentia potens comprehendere pulchritudinem mundi per vnum actum comprehensiuum omnium, quæ sunt in mundo, eo ipso mundus haberet pulchritudinem, quam nullus intellectus creatus posset naturaliter comprehendere, quod est absurdum. Si verò aliqua intelligentia haberet vim intellectiuam maiorem, quam sufficiat ad mundum comprehendendum, haberet vim intellectiuam, quam non posset reducere in actum ex defectu obiecti intelligibilis, quod pariter est absurdum.

14. Ad 1. nego debere dari solum tot Intelligentias, seu Angelos, quot sunt sphaeræ celestes. Dum opponitur: Intelligentiæ ordinantur ad finem mouendi sphaeræ celestes; ergo debent esse solum tot, quot sunt sphaeræ celestes: distinguo antecedens: ordinantur principaliter, & vnicè ad finem mouendi sphaeræ, nego: ordinantur minus principaliter, & non vnicè, concedo; & nego consequentiam. Intelligentiæ cum sint nobilissima pars vniuersi, sunt præcipuus finis vniuersi, ideoque intenduntur principaliter gratia sui, & solum minus principaliter gratia sphaerarum celestium, & aliorum corporum; ergo non debent esse solum tot, quot sunt corpora celestia, sed debent esse multo plures, atque excedere numerum omnium corporum, ut dictum est in ratione conclusionis.

15. Ad authoritatem Aristotelis respondeo Aristotelem 18. metaph. c. 42. & sequentibus docuisse tot esse Intelligentias motrices sphaerarum celestium, quot sunt sphaeræ celestes; & quia ex opinionibus veterum astronomorum censuit sphaeræ celestes esse circiter 47. conclusit Intelligentias motrices esse circiter 47. Caterum non negat præter illas Intelligentias motrices sphaerarum, adeoque degentes in ipsis sphaeris, dari supra vltimū cælum, & su-

& supra vltimam spheram alias Intelligentias non mouentes vllam spherā, earūque numerum à nobis determinari non posse. Immo vt ex Augustino Eugubino lib. 4. de perenni philosophia, c. 2. bene notat Vasquez 1. par. disput. 180. c. 1. nū. 1. Aristoteles expresse lib. 1. de cælo c. 100. cum docuisset extra, seu supra cælū non dari, neque dari posse vllum corpus, adeoque neque locum, neque vacuum, neque tempus, concludit, quod quæ sunt extra, seu supra cælum, neque sunt in loco, itā vt aliquid patiantur à loco, neque sunt in tempore, itā vt tempore senescant, vel aliquid patiantur à tempore, neque patiuntur vllam transmutationem, siquidem sunt supra motum cœli, à quo oriuntur omnes transmutationis, sed sunt inalterabilia, & impassibilia, atque habent vitam optimam, & per se sufficientissimam, in eaque perseverant toto æuo; sed non alia entia possunt esse supra vltimum cælum, & vltimam spheram habentia vitam optimam, & sufficientissimam, quam Intelligentiæ; ergo Aristoteles vltimā Intelligentiā motrices degentes in spheris cælestibus, quæ Intelligentiæ sunt pauca, & tot, quot spheræ, ponit alias supra cælum, quarum numerus determinari non potest à nobis. Verba Aristotelis sunt. Quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus facit ipsa senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extrema disposita sunt latrone, sed inalterabilia, & impassibilia optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseverant toto æuo.

17. Ad 2. nego antecedens: nam dictum est intelligibilitatem naturalem mundi esse rationem, propter quam species Angelorum debent solum multiplicari vsque ad certum numerum, hoc est vsque dum perueniatur ad Intelligentiam, quæ adæquet intelligibilitatem naturalem mundi.

18. Ad 3. respondeo primo, distingo antecedens: ex hominibus prædestinatis reparandæ sunt ruinæ Angelorum, substituendo singulis Angelis singulos homines, nego; substituendo collectioni Angelorum, qui ceciderunt, collectionem hominum prædestinatorum, concedo; transeat minor, & nego consequentiam. Ad hoc, vt ruinæ Angelorum reparentur ex hominibus prædestinatis, sufficit, vt collectioni Angelorum, qui ceciderunt, substituaturs collectio hominum prædestinatorum, licet non singulis Angelis correspondant singuli homines, sed homines prædestinati sint pauciores Angelis, qui ceciderunt.

19. Respondeo secundo, concedo antecedens, quod nimirum ruinæ Angelorum reparandæ sint ex hominibus prædestinatis, substituendo singulis Angelis singulos homines; ac cum pluribus auctoribus negando minorem, quod nimirum ceciderit tertia pars Angelorum. Apocal. 12. dum dicitur, prælium magnum factum in cælo, ac draco traxisse tertiam partem stellarum, non est sermo

de prælio factō in cælo empyreo inter bonos, & malos Angelos, sed de prælio factō in cælo ecclesiæ inter demones, & homines fideles, in quo prælio draco traxit tertiam partem stellarum, hoc est hominum, qui cum in hoc cælo ecclesiæ lucerent sicut stellæ, ceciderunt, vt explicat Richardus lib. 4. in Apoc. nec non Glossa, & Lyranus in eum locum. Cæterum Dionysius Carthusianus in cap. 14. S. Dionysij de cælesti Hyerarch. refert S. Birgittæ fuisse reuelatum ita esse plures Angelos, quam homines, & vnicuique homini possint in custodiam assignari decem Angeli. Cum autem iuxta opinionem receptam soli Angeli vltimi chori regulariter assignentur in custodiam hominum, sequitur Angelos bonos vltimi chori esse decies plures, quam homines; sed proportionaliter, ac cœli superiores excedunt in quantitate continua cœlos inferiores, Angeli superiorum chororum excedunt in numero, seu quantitate discreta Angelos chororum inferiorum: ergo sequitur Angelos esse incomparabiliter plures hominibus.

QVÆSTIO CXXXIII.

Utrum, & quo pacto Angeli assumant corpora?

S. Th. quæst. 51. art. 2.

1. **V**idetur, quod Angeli verè non assumant corpora, quia in opere Angelis, sicut in opere naturæ nihil est superfluum; sed superfluum esset, vt Angeli assumerent corpora, cum illis non indigeant: ergo.

2. Secundo si probaretur Angelos assumere corpora, probaretur ex apparitionibus, quibus in Scripturis narrantur apparuisse; sed ex talibus apparitionibus non probatur; ergo. Probat minor: possumus enim dicere tales apparitiones factas fuisse per hoc, quod imaginatio, vel sensus ita fuerint immutati, vt viderentur sibi videre corpora, quæ non erant, vt accidit in somnis.

3. Tertiò Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 4. loquens de apparitionibus Angelorum dicit. *Permissione autem Dei facta, & fortitudinem habent, & transferuntur, & transformantur in quam volunt figuram, secundam phantasiam, hoc est imaginationem;* ergo existimat apparitiones Angelorum esse phantasticas, & fieri per immutationem imaginationis, seu phantasie.

4. Quartò Lamiæ, quæ referunt se multa vidisse, & peragrasse varias partes terræ, solum secundum imaginationem, & phantasiam illa omnia vident, vt docet Concilium Aquirense relatum Can. Episcopi, qu. 5. ergo idem dicendum de apparitionibus demonum, & Angelorum.

5. Quintò si Angeli assumerent corpora, deberent illis vniri, non quidem vnione substantiali, vt anima corpori: nam vt dictum est